Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31633
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

uelut in celo positi astra pluuię fuerunt. qui
in predicationis culmine erecti. dum prauitatem
peccantium libere increpare ausi sunt. quasi
uerborum guttis obcecationis humanę puluerem
rigando presserunt. Quorum uidelicet animas
abhac corruptibili carne susceptas. quia ex pre
senti uita superna iudicia auferunt. quasi a ce
li facie stellę pluuię subtrahuntur. Et ad occul
tum astra redeunt. dum peractis suis cursibus sanctorum
animę in thesauris depositionis intimę recon
duntur. Sed quia terra aresceret si subductis stellis
pluuię superna funditus fluenta cessarent.
recte dicitur. Qui aufert stellas pluuię. et effun
dit ymbres ad instar gurgitum. Nam cum prophetas
abstulit. eorum uice dominus apostolos misit. qui in simi
litudine gurgitum pluerent. postquam subductis
antiquis patribus exteriora legis predicamenta
tacuissent. Stellas ergo pluuię abscondit. et ad
instar gurgitum ymbres fudit. quia dum predi
catores legis ad secreta et intima reclusit. predic
ta sequentium uberiores predicationes emanauit.
Possunt quoque per stellas pluuię sancti apostoli designari. de
quibus uidere reprobatę per hieremiam dicitur. Prohibitę
sunt stellę pluuię de celo. et ymber serotinus
non fuit. Stellas ergo pluuię dominus abstraxit. atque
ad instar gurgitum ymbres fudit. quia cum
de iudea predicantes apostolos abstulit. doctrina
nouę gratię mundum rigauit. Quod utrumque factum
in ecclesia potest non incongruenter intelligi. quia cum
solutis corporibus ad secretos supernorum sinus apostolorum
animas retulit. quasi a celi facie stellas plu
uię abscondit. Sed ablatis stellis pluuię in
modum gurgitum ymbres dedit. quia etiam re
ductis ad superna apostolis. per expositorum sequentium
linguas fluenta scientię diuinę diu abscon
dita largiore effusione patefecit. Nam quod illi
sub breuitate locuti sunt. hoc exponendo isti
multipliciter auxerunt. Unde et non inmerito

ipsa expositorum predicatio gurgitibus comparatur. quia
dum multorum precedentium dicta colligunt. ipsi
in eo quod astruunt profundius dilatantur. Nam
dum testimonia testimoniis iungunt. quasi
ex guttis gurgites faciunt. Quorum uerbis dum
cottidie gentilitas docetur. quia peccatorum mens
celestem scientiam accipit. quasi stans in terra
aqua gurgites ostendit. Sed nequaquam se eisdem
apostolis expositores in scientia preferant. cum expo
nendo latius locuntur. Meminisse quippe incessan
ter debent. per quos eiusdem scientię inuentio
nes acceperunt. Unde et apte subiungitur. Qui de
nubibus fluunt. Hi quippe gurgites de nubibus
fluunt. quia si ex sanctis apostolis uis intelligentię
non inciperet. nequaquam per ora doctorum largior mana
ret. In scriptura enim sacra aliquando per nubes
mobiles quique homines. aliquando prophetę. aliquando apostoli
designantur. Per nubes quippe mobilitas humanę
mentis exprimitur. sicut salemon ait. Qui obseruat
uentum non seminat. et qui considerat nubes
numquam metit. Uentum procul dubio immun
dum spiritum. nubes uero subiectos ei homines appel
lat. Quos totiens huc illucque impellit et reuo
cat. quotiens temptationes eius in eorum cordibus
suggestionum flatibus alternant. Qui ergo uen
tum obseruat non seminat. quia qui temptatio
nes uenturas metuit. cor ad bona opera non proponit.
Et qui considerat nubes non metit. quia is qui ante
humanę mutabilitatis terrorem trepidat. mer
cedis ęternę retributione se priuat. Per nubes
prophetę figurantur. sicut per psalmistam dicitur. Tene
brosa aqua in nubibus aeris. id est occulta scien
tia in prophetis. Per nubes quoque apostoli designantur. sicut per
ysayam dicitur. Mandabo nubibus ne pluant super eam.
ymbrem. Ipsi ergo stellę. quia uitę meritis lucent.
ipsi nubes. quia arentem pectoris nostri terram ce
lestis intelligentię fluentis rigant. Si enim
nubes non essent. nequaquam eos intuens propheta